



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nivernensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

490 Epistolarum Innocentij III.

domino suo regnum intraverat, quorum proditione occupaverat regni arcus, immo etiam totum regnum, non solum omnibus bonis fecerit spoliari, sed animadvertis etiam in personas, eos in exilium destinaverit, & tandem fecerit mulciliari. Auditis etiam & vidistis immanitatem ipsius, qualiter sacerdotes & alios præcipitarit in mare, qualiter multos flammis exusserit, qualiter omnes & singulos flagellarit. Intelligere quidem vos credimus & pro firmo tenere quod si Christianis ejus oculus non pepercit, non parceret etiam Sarracenis, in quos tantò saviret liberiùs, quantò se majus crederet obsequium præstare Deo, effundendo sanguinem paganorum. Qui enim in dominum suum & domini sui filium, qui eum de pulvere suscitavit, & erexit de stercore, conjuravit, & eum materna nititur possessione privare, malignaretur severius in alienigenas, immo in alterius ritus & observantiae disparis nationes, quarum sanguine suas sit inebriare sagittas & gladium cruentare, & qui contra salutem animæ suæ Christianorum diripit spolia, si contra vos vel violentia vel astutia prævaleret, ad suum vos subsidium vanis promissionibus invitando, divitias vestras penitus exhauriret, & suis daret in prædam. Sanè nec juramentum vobis nec promissiones aliquas observaret, qui juramentum nobis publicè præstitum non servavit. Intelligentes igitur intelligite veritatem, & in solita progenitorum vestrorum & vestra fidelitatis constantia permanentes, non subiiciatis vos & veltros posteros jugo ejus: quod etsi videretur in initio leve, colla tamen gestantium in fine confringeret; & vel nullus vel inutilis esset pœnitentia locus, postquam cancer vitalibus irrepsisset. Cogitare debetis quod cùm contra Sarracenos multijam conjuraverint Principes Occidentis, & multa populi multitudo, assumpto crucis signaculo, in proximo disposerit transfretare; si vos contra Christianos Marcoualdo, & Marcoualdum vobis contra Regem puerum contingeret adhærere, in vos arma converterent; & Marcoualdus, cùm vires eorum sustinere non posset, iplos animo volens vel invitus sanguine vestro placaret, & vitam suam redimeret morte vestra. Monemus igitur universitatem vestram, consulimus, & hortamur, per apostolica vobis

scripta districte præcipiendo mandantes quatenus in hoc progenitorum vestrorum constantiam imitantes, nec ingratibeneficiorum quæ vobis Reges Siciliae contulerunt, attendentes etiam mansuetudinem apostolicae sedis, quæ vos non solum manutenere vult in bonis consuetudinibus, sed augere in devotione nostra & fidelitate regia persistatis, nec credatis promissionibus & fallaciis Marcoualdi, qui ad hoc solum promittit ut fallat, ad hoc fallit ut vos possit sue tyrannidi subjugare. Nos autem in defensionem vestram & expugnationem ipsius, dilectum filium C. tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem, & venerabiles fratres nostros Neapolitanum & Tarentinum Archiepiscopos, & dilectos filios nobiles viros Ia. Marescalcum & O. de Palumbria consanguineos nostros, in regnum dirigimus cum exercitu copioso: ante cujus conspectum Marcoualdus subsistere, dante Domino, non valebit, sed cum universis sequacibus & fautoribus suis irreparabiliter conteretur. Dedimus autem eidem Legato & omnibus nuntiis nostris districtius in præceptis ut vos manuteneant & defendant, & in bonis curent consuetudinibus adaugere. Dat. Laterani.

NIVERNENSI EPISCOPO.

PErvenit ad audientiam nostram, I. sacerdote de Naizin ordine Cisterciensi novitio intimante, quod cùm adhuc esset in habitu seculari, quidam servientes, quod quidam homo, quem quaerabant, abiisset ab eo cum instantia quaeriverant: qui cùm ad quid eum quaerent ignoraret, illic eum esse respondit: ad quem locum illi protinus venientes, nec eum invenientes ibidem, postea inventum alibi patibulo suspenderunt. Verum quia eum aliquantulum conscientia remordebat, bona memoria H. Bituriensi Archiepiscopo, qualiter factum fuerat, intimavit: qui eum à Missæ celebratione prohibuit, donec uteretur consilio saniori. Nunc autem quoniam ad ordinem Cisterciensem se transtulit, à nobis misericordiam postulat & requirit. Cùm igitur præfatus sacerdos in hoc commendandus existat quod à nobis duxit consilium requirendum, quia bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus

Epi. 217.
De abolitione
sacerdotum,
qui hostibus in-
dicarant homi-
nem, quem illi
laqueo strangu-
larunt

inquiras de præmissis diligenter veritatem, & si rem inveneris taliter se habere, cùm ex hoc præfatus sacerdos dignoscatur nullius culpæ maculam contraxisse, auctoritate nostra des ei licentiam celebrandi. Datum Laterani.

VERONE NSI EPISCOPO,
Romane Ecclesie Cardinali.

Epist. 218.
Vt pertinaces
heretici pu-
niantur, & refi-
piscere volen-
tibus gremium
Ecclesie non
præcludatur.

* Cataros.

LIcet in agro patris familias evangeliici zizania sæpe pullulent inter mesiles, & vineam domini Sabaoth interdum nitatur tinea demoliri; sic tamen prudens agricola vinitiorque discretus falubre debet remedium invenire, ne vel triticum ebellatur inter zizania, vel in dejectione tineæ vinea corrumpatur. Si militer etiam, licet ad abolendam hæreticam pravitatem invigilare debeat sollicitudo pastoris, sollicitè tamen debet attendere ne vel damnet innoxios, vel nocentes absolvat. Accepimus autem quod auctoritate litterarum nostrarum, quas dilectis filiis nostris Archipresbyteris & Canonicis Ecclesiæ tuae contra * Gazaros, Arnaldistas, Pauperes de Lugduno, & Humiliatos, qui nondum redierunt ad mandatum apostolicæ sedis, & hæreticos universos direximus, dictus Archipresbyter tam contra Humiliatos quam universos hæreticos, sine distinctione quam posueramus in litteris nostris, excommunicationis sententiam promulgavit: cuius occasione sententia nonnulli quosdam qui, licet inviti, à populo Humiliati dicuntur, licet nullam hæresim, sed fidem, sicut dicitur, sapiant orthodoxam, & in humilitate cordis & corporis studeant Domino famulari, qui etiam in manibus tuis stare mandatis Ecclesiæ juraverunt, evitant, & eis tanquam excommunicatis communicare sicut haec tenus non præsumunt. Quia vero non est nostra intentionis innoxios cum nocentibus condemnare, fraternitati tua per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus tales ad tuam præsentiam convokes, & inquiras tam ab aliis de vita & conversatione ipsorum, quam ab eis de articulis fidei & aliis quæ videris inquirendæ, & si nihil senserint quod sapiat hæreticam pravitatem, eos catholicos esse denunties, & prædicta sententia non teneri. Quod si forsitan aliquid contra fidem sapiant orthodoxam, & parati fuerint ab errore discedere, ac mandatis apostolicis obe-

dire, recepto ab eis juxta formam ecclesiæ juramento, quod solet à talibus exhiberi, beneficium eis abolutionis impendas, mandans eisdem sub debito juramenti præstigi ut errorem quem approbaverant, publicè improbent, & in aliis studeant pro viribus confutare, de cetero etiam fidem orthodoxam servent, & sedem apostolicam venerentur. Datum Laterani VIII. Idus Decembris.

B. PISTORIENSI EPISCOPO.

ANobis tua fraternitas requisivit utrum ab illis decimas exigere debeas qui possessiones dant vel recipiunt ad affictum, cum alijs se contentur per alios excusare quod minus cogantur ad decimas persolvendas; quid etiam sit de mulieribus in episcopatu tuo Presbyteris in capellis sub conversationis specie cohabitantibus faciendum, unde infamia irrogatur ordini Clericorum. Cùm igitur quilibet decimas solvere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exceptus, fraternitati tuae duximus respondendum quod à dantibus possessiones & accipientibus ad affictum, de fructibus quos percipiunt decimæ sunt solvenda, nisi ab eis aliquid ostendatur quare ab hujusmodi sint immunes. Cum Clericis quoque non permittas mulierculas habere, nisi forte de illis personis existant in quibus naturale feedus nihil permitit cœvi criminis estimari. Datum Laterani IV. Nonas Decembris.

Epist. 219:
Qualiter deci-
ma per solven-
da sit.
Cap. A nobis.
De Decimis.

L. 44. De Episc.
& Cler. in Cod.
Theodos.

ZEGLENNSI EPISCOPO.

CVM facti simus secundum Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, honori fratrum & coepiscoporum nostrorum, quos apostolica sedes in partem sollicitudinis evocavit, tanto abundantius deferre volumus & optamus, quanto propter eminentiam dignitatis à nobis & aliis sunt propensi honorandi. Ea propter, venerabilis in Christo frater, tuis justis petitionibus inclinati, præsenti pagina tibi duximus indulgendum ne quipiam Prælatorum, nisi pro manifesta & rationabili causa, excommunicationis vel suspensionis in te, quem nos, licet indigni, propriis manibus consecravimus, sententiam valeat promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani XII. Kal. Decembris.

Epist. 230.
Quod non fa-
cile excommu-
nicari possit.